

V₁ 54-95

V. a 56-97 pag 57^a-59^a
B 5 Vol. II.

57.

3.

4

A. D. IV. ET III. ID. MART.


AB HORA II. POST MERID.

STEPHANEI CLASSEM
PRIMAM
EXAMEN SUBITURAM
SIGNIFICAT

FRÆMISSIS

DUABUS OBSERVATIONIBUS AD
TRADENDAM EBRAICAM LIN-
GUAM PERTINENTIBUS,

CHRISTIAN. GODOFRED. STRUIENSEE, R.



HALBERSTADII,

LITTERIS FRIDERICIANIS, MDCCLXI.



INSTITUTIONES
IN ARITHMETICAM
ET ALGEBRAM
EXAMEN SUBTILITURAM
SIGNIFICATA
DUBIIS OBSERVATIONIBUS AD
TERMINANDAM FIDELITATEM
QUAM PER NECESSITATEM
CHRISTIANUS GODEFRIDUS ZWIRNERUS, R.
HALLERSTADII
LITTERIS UNIVERSITATIS INCIPIIT





In publicarum scholarum rationem disciplinamve publice inquiri, cum utile, tum necesse propemodum esse, inter omnes ita constare arbitror; ut lectorum prudentiæ diffidere viderer, si, cur a *Reverendissimis Patronis*, ut ea nobis facultas daretur, cum collegis meis petierim, pluribus exponere vellem. Nec magis necesse arbitror vel a *Reverendissimis Patronis nostris*, vel ab iis, a quibus res publica tum sacra, tum civilis sapientissime gravissimeque administratur, ceterisque, qui bonas literas ornari augerique cupiunt, parentibus maxime eorum, qui curæ nostræ commissi sunt, vehementius contendere, ut tenui umbratilique exercitationi interesse haud graventur: cum mihi persuaserim, tantum abesse, ut hanc in rogando fiduciam sint improbatûri; ut potius officium nostrum in ea re requirant, suoque jure poscant a nobis, flagitentque. Quæ cogitanti cum

quæstio circumspicienda esset, de qua hac scriptio, qua hic actus indicendus fuit, paucis dissererem: non longe petenda mihi fuit, sed ipsa se ultro offerre quasi visa est. Cum enim reminiscerer, proximo a me esse disputatum programmate: *maximam in omnem rem scholasticam utilitatem redundaturam, si, qui in scholis versantur quæ in tradendis scholasticis artibus vel recte, vel vitiose fieri animadverterunt cum aliis communicare velint: meum putavi, quæ ab aliis fieri volui, ipsum præstare; quæque in administranda scholasticæ provinciæ tenui quadam parte experiundo cognovi, paucis explicare. Levius sunt, fateor, quæ profero, non tam salutaria præcepta daturus, quam errata ingenue confessurus: attamen operæ pretium me fecisse putabo; si exercitatiores viri meliora aliquando præcipere volent; unufue & alter, qui suam operam scholis addicere volent, speciosos errores, quibus ego impeditus fui, meo exemplo moniti evitabunt. Exponam autem hoc tempore, quæ in tradenda ebræa lingua minus recte fieri, usu cognovi.*

Ebraica docere cœpi in Hallensi celeberrimo orphanotrotheo, quarto ex sex ordinibus præpositus, quem adultiores adolescentuli frequentabant sex per septimanam horis instituendi, Quemadmodum voluptate, utilitateque ductus potius, quam necessitate coactus opellam meam erudiendæ huic juventuti addicebam: ita non mediocrem diligentiam, nec vulgare studium ejus inserviendi commodis adferebam; secutus autem docendi rationem minus idoneam,

am, non sum, quod mihi proposueram, consecutus, invitique, quibus consultum volebam, si non obfui, certe non multum profui. Cum animadverterem discentes esse grammaticæ tantum non profus rudes; & videretur necesse huic malo occurrere; nec quemadmodum id facile & prudenter fieret cognitum haberem: eo sum devolutus, ut codicis lectio sic a me negligeretur, ut sex integris mensibus, vix viginti sectiones absolventur; nec tamen id obtinerem quod mihi proposueram, ut plenior grammaticæ ebrææ perciperent cognitionem. Ubi jam mecum recognosco, quomodo acciderit, ut cum diligentissime in demandata provincia versarer, non amplius profecerim; & ex his quæ deinceps experiendo cognovi, iudicium facio: duobus præsertim modis erratum fuisse a me reperio. Uno, quod codicem non legi diligentius; altero, quod in grammatica inculcanda *diligenter* sed parum *prudenter* elaborabam.

Cum enim ad omnem omnium linguarum cognitionem frequens lectio plurimum valeat; ex qua verborum sententiarumque copia petenda est ususque: mortuæ eam in primis requirere videntur, quarum facultatem vix alia ratione consequi possumus; præsertim cum lectionis copia ad excitandum alendumque discendum studium imprimis conducat; sine quo intensissima docentis diligentia frustra insumitur. Fatebuntur enim mecum omnes, qui erudiendæ juventuti operam navant, plurimum tunc esse protectum, si sint id consecuti, ut, quos docent, ejus, quod docentur,

tur, iucunditatem dulcedinemque percipiant: quod certe nunquam fiet, si in grammaticæ aridis fabulosisque campis, imo sentibus vepribusque tantum detinentur. Quemadmodum enim, si quem puerum velis aliquo ducere, ægre ab eo impetraturus sis, ut te ultro sequatur; si ei per vepreta tantum & senticeta perpendum fit, nec se cum iis colluctantem progredi sentiat; contra ea te fit præcurfurus, si per amœna prata ductus, flores decerpens ad metam se adpropinquare videat: ita profecto mirum non est, tepere, imo exstingui puerorum studia, si in ingrato sterilique grammatices studio misere torti, laborum suorum fructum nullum capiunt, nec quantum proficiant sentiunt. Quod quidem cum de inferiorum ordinum pueris valet; tum de adultioribus magis etiam adfirmandum est: quo certius est, hos nisi interno motu cieantur, non multum profecturos.

Verum non in eo solum fuit a me erratum, quod codicis lectionem negligerem: ipsam grammaticam, quam inculcari volebam, parum *scienter* tractavi. Cum enim paradigmata tantum, si usus esset, evolvi juberem; nec ea memoriæ ediscendo infigi curarem: factum est, ut nemo ex discipulis ea perfecte teneret, (qua re progressum impediri nimium vere cognovi) evolvendis que paradigmatis plurimum temporis impendendum esset, quod utilis multo collocari potuisset. Erunt fortasse, qui mirabuntur posci a me, ut ad verbum paradigmata ediscantur: quam rationem
non

non pauci ita averfantur, ut eam mentium carnificinam esse putent, cane pejus atque angue fugiendam.

Quos uti suo sensu abundare facile patior; ita non ferent ægre, si quæ usus me docuit, confirmo. Doctus sum in orphantropheo experientia, aut nihil, aut perparum profici, etsi paradigmata diligentissime consulantur: eadem experientia magistra me post docuit, ebraicæ linguæ cognitionem facilius multo pleniusque fuisse perceptam ab iis, quibus, ut verborum exempla memoriæ studiose imprimerent, potuit persuaderi; ut mihi certe utra ratio præferenda sit, non amplius dubitandum videatur. Quod cum viderem, sæpe sum admiratus, fieri potuisse, ut prudentes etiam viri statuerint, nihil esse a pueris memoriter ediscendum, exercendæque atque acuendæ memoriæ hanc rationem ita adspernati sint; ut eam ex scholis plane exterminari voluerint. Uti enim facile largior, *tum*, ineptissime exigi a pueris, ut, quæ ratione comprehendere debebant, memoriæ operose committant; *tum*, non videri postulandum a tenella ætate, ut suo quasi Marte memoriæ infigant, quæ non intelligunt: ita id mihi jure ad firmare posse videor adultiorum puerorum memoriæ, cujus vis latissime patet, non posse modo, sed debere acui; quod nisi diligenter exerceatur fieri non potest. Accedit, quod usu cognovisse videor, esse paradigmatum ediscendorum studium vel propterea commendabile, quod pueri celeriter, quid profecerint, sentiunt; quod

quod ad incendendum eorum studium, in quo tantum non omnis vis posita est, dici non potest, quantum valeat.

Illud etiam a me minus recte factum fuisse postea cognovi, quod de *perpetua grammaticæ expositione parum laborabam*; nec quemadmodum ejus partes, doctrinæque inter se copulatæ nexæque essent, explanarem: maxime cum ebraicæ grammaticæ proprium sit, ut paucis cognituque facilibus præceptis contineatur, quæ cognita linguæ scientiam vehementer augent provehuntque, omissa autem vix quemquam sine multiplici offensione progredi patiuntur. Quod ipse ego meo damno didici. Quamquam enim non parum laboris temporisque in colenda hac lingua contriveram: tamen, quamdiu penitior grammaticæ cognitione carebam, nimium sæpe aquam hære, multa a me non perspici, in non paucis errari sensi, quod idem discipulis meis hallensibus usu venisse cognovi, qui certe facilius multo expeditiusque essent progressi, si curatiore primorum hujus linguæ elementorum cognitione fuissent instituti.

Incidit post in alium, etsi tolerabiliorem, errorem. Evocatus enim a summe Reverendo Bergenfi Abbate, quem pro summa ejus gravitate, dignitate, sanctitate, benevolentiaque in me, meosque, dum ero, venerabor, in celeberrimum, quod sub eo floret, pædagogium, ad motusque non multo post secundo ex tribus ebraicis ordinibus, cum aliam tentarem viam, qua ad propositam metam facilius celeriusque pervenirem: me, quod media transilieram, in alterum incidisse extremum animadverti. Quam est difficile medium vel
invenire,

invenire, vel tenere ! Quum enim errores meos Hallæ in instituendo admissos manibus quasi tenerem : his, quibus præpositus eram (in quibus tenuis primorum elementorum cognitio erat, qualis in ultimo ordine comparari potuerat, ubi legendi initium fieri solet) me speravi consulturum ; si omni grammatica omiſſa, in legendo codice eorum diligentiam unice occupari, exercerique vellem.

Multa me, ut hanc rationem sequerer, invitabant. Videram qua ratione in orphanotropheo eram usus, ea parum profici; cognoveram etiam, multos, qui in academia sacris literis operabantur, vehementer fuisse summe Reverendi Knappi opera adjutos, qui eo tempore integrum codicem singulis annis cum summa studioforum utilitate perlegebat; sperabam etiam, discipulorum studia eo magis iri excitatum, quo plura, quo citius, quo liberius forent percurſa. Quas ob causas alacri animo, optimaque spe excitatus ad legendum codicem me accinxi, & complures libros sex mensibus legi verius, quam explicui. Si quæris, Lector, quo fructu ? exiguo profecto; majore tamen, quam quem ex Hallensi institutione perceperam. Ipsa opera parum succedebat: discipuli tantum non in singulis vocibus hærebant, vocabulorum, quæ ex clave aliqua tenebant, formam atque vim ignorantes, ad extremum plerique difficultate deterriti æque segniter in labore verfabantur, atque Hallenses. Si quid de omni hac ratione sentiam, dicendum est: utique frequentem lectionem molesto & sterili labori,

bori, qui in una grammatica exhauritur, præferendam puto; idem tamen nec hoc modo ad præfixum finem perveniri certum esse puto. Docuerunt me Bergensis mei, non multum hac ratione profici, defatigari pueros, tadium obrepere, & qui maxime proficere putantur, eos tantum non in omnibus vocibus incertos fluctuare, & ob quam rationem sic, nec aliter interpretari debeant, ignorare. Quare nec hanc viam in docendis ebraicis literis tenendam arbitror, utpote flexuosam plenamque ambagibus impeditamque. Utrum hoc de omnibus linguis valeat non audeo affirmare. Exstant gravissimorum virorum auctoritates, qui, grammatica omni repudiata, ex mera lectione comparari scientiam linguarum volunt, quibus vix sine aliqua temeritate repugnare possis. Attamen si ex his, quæ ex usu cognovi, judicare licet: utique, nisi ita insilletur lingua, quemadmodum patria disci solet, ut aures undique circumsonet, vereor, ut, non adjuncta grammatica, ex sententia negotium succedat. Quemadmodum enim expeditius celeriusque multo præcipuorum Germaniæ oppidorum cognitio comparatur, adhibita geographica tabula, quam ipsa obeundo: sic in grammatica inesse aliquid arbitror, ut, si cum lectione coupletur, ingens ad percipiendam linguarum scientiam adferat subsidium; præsertim cum sine ea ne vernacula quidem accuratius percipi possit. Ego saltem deinceps vidi, advocata grammatices ope non solum non impediri, sed etiam provehi codicis lectionem, discentiumque cognitionem multo fieri pleniorum, certiorumque, altiusque

que

que eorum mentibus infigi. De qua re alio tempore fortasse agam.

De examinis ratione tria verba addam. Examinandos, quod plerumque fieri solet, præparare non volui: quia in dignum putavi imponere auditoribus; quos rogabo potius, ut ponant aliquem locum proximo anno pertractatum, de quo interrogentur discipuli. Initium fiet a. d. IV. id. Mart. qui *Jovis* est a *Theologia*, quam *latina*, *græca*, & *ebraica* excipient: a. d. III. Id. Mart. *Veneris* diem, quantum in *gallicis*, *historia*, *italica* lingua, *anglicaque*, *logica* denique profecerint, explorabitur. Optamus, ut his, qui a nobis impensissime rogati interessè volent, tum docentium opera, tum discentium profectus probentur. Scrib. Halberstad, a. d. VI. id. Mart, MDCCLXI.



8.0 A 623A

vd 18

Nur für den Lesesaal

ULB Halle

004 585 895

3



noch nicht verzeichnet





57. 3.
4

A. D. IV. ET III. ID. MART.

AB HORA II. POST MERID.

STEPHANEI CLASSEM
PRIMAM
EXAMEN SUBITURAM

SIGNIFICAT

FRÆMISSIS

DUABUS OBSERVATIONIBUS AD
TRADENDAM EBRAICAM LIN-
GUAM PERTINENTIBUS,

CHRISTIAN. GODOFRED. STRUENSEE, R.



HALBERSTADII,

LITTERIS FRIDERICIANIS, MDCCLXI.

